

Capitula Helmstadiensia

(5) Ut calicem non cornuum, quia caro est, neque eneam propter rubiginem habeat.

(6) Ut nullus presbyter in alterius parochia missam cantet absque eius voluntate.

(7) Ut plebem admoneat, ut in atrio ecclesie non cantent nec choros muliercule ducant.

(8) Ut psalmum de fide sancte trinitatis „Quicumque vult“ sciat et sensum intellegat et enuntiare sciat.

QUID PLEBI DENUNTIARE DEBEANT

(9) Ut plebibus denuntiet, ut in natali domini et pascha ac pentecoste communicent nisi penitentes, quibus tamen viaticum non neget, et ut se corpore et corde ad suscipiendum corpus domini præparent.

(10) Ut ante oblationem presbyter moneat preces fundere pro diversis necessitatibus, pro regibus, rectoribus, pro pace, peste, pro infirmis, pro nuper defunctis, in quibus plebs pater noster, sacerdos vero orationes convenientes dicat; postea celebretur oblatio.

Regino, Libri Duo

Si in alterius parochia missam cantet absque compresbyteri voluntate et rogatu? (*Regino, Inquisitio 49; ed. Wasserscheben S. 23.*)

Si plebem admoneat, ut in atrio ecclesiae nequaquam cantent aut choros mulierculae ducant, sed ecclesiam ingredientes verbum Domini cum silentio audiant? (*Regino, Inquisitio 72; ed. Wasserscheben S. 24.*)

Si sermonem Athanasii episcopi de fide sanctae trinitatis, cuius initium est „Quicumque vult salvus fieri“, memoriter teneat et sensum illius intelligat, et verbis communibus enunciare sciat? (*Regino, Inquisitio 86; ed. Wasserscheben S. 25.*)

Si tribus temporibus anni, i.e. Natale Domini, Pascha et Pentecosten, omnes fideles ad communionem corporis et sanguinis Domini accedere admoneat? (*Regino, Inquisitio 60; ed. Wasserscheben S. 23f.*)

De eadem re.

Oportet, ut in diebus dominicis vel festis, post sermonem intra missarum solemniam habitum ad plebem, sacerdos admoneat, ut iuxta apostolicam institutionem orationem omnes in commune pro diversis necessitatibus fundant ad Dominum pro regibus et rectoribus ecclesiarum, pro pace, pro peste, pro infirmis, qui in ipsa parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis, in quibus singillatim precibus plebs orationem dominicam sub silentio dicat, sacerdos vero orationes ad hoc pertinentes per singulas admonitiones solemniter expleat. Post haec sacra celebretur oblatio. Ait enim Apostolus: Obsecro primum omnium fieri orationes, obsecrationes, gratiarum actiones etc. (*Regino I, 192; ed. Wasserscheben S. 98f.*)